LIBRARY OF CONGRESS
0 003 052 085 3

PA 4432
.L8
Copy 1

DE DICTIONIS SOPHOCLEAE

UBERTATE QUAE IN VERBIS CUM PRAEPOSITIONIBUS COMPOSITIS CONSPICITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THEODORUS LUDEWIG

DOBRILUGIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

BRATUSCHECK, STUD. PHIL.
MATTHIAE, STUD. PHIL.
SCHNEIDER, DD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

[1864].

PA 4432
.L8

I.

Unus quisque populus et ratione quadam cogitandi ut dono suo a natura accepto inde a rerum suarum primordiis ita fruitur ut ab hominibus ex alia stirpe ortis differat et vocabula sua formasque grammaticas excoluit quae cogitationum peculiarium, quibus excellit, imagines referunt. Quae proprietates quum indolem linguae efficiant, si quis tollere eas vellet, veste singularibus coloribus tincta qua natura est induta, illam despoliaret. In Graeca quidem lingua ubi sententiae laeta vocabulorum copia saepe ita obteguntur, ut interdum enuntiato vocabulum aliquod demi posse neque tamen sententia dirui videatur, vereor ne multi sermonis consuetudinem injuste immutare conati sint ita errantes ut, quae pro illa significationem aliquam continerent, ea sensu esse cassa et frustra a scriptoribus adhiberi opinarentur. Cujusmodi errores ex duobus imprimis fontibus fluxisse mihi videntur. 1. Primum fuerunt qui quum ignorarent quid vocabulum aliquod per se consideratum ex Graeci sermonis indole vellet, id sensu vacuum et tantummodo *πληρώσεως ἕνεκα* scriptum esse crederent. Quae peccata maxime apud veteres gram-

maticos et rhetores exstant. Ex quibus plurimi — ut hoc unum afferam — consuetudine Graece loquendi non perspecta particulas quasdam ad sententiam aut conexum nihil valere sed plane otiosas esse judicarunt. Ut ex grammaticis Dionys. Thrax (Bekk. Anecd. 11. 643): „*παραπληρωματικοὶ δὲ εἰσὶν, ὅσοι μέτρου ἢ κόσμου ἕνεκεν παραλαμβάνονται. Εἰσὶ δὲ οἵδε· δή, ῥα, νυ, που, τοι, θήν, ἄρ', δῆτα, περ, πω, μήν, ἄν, οὖν, κεν, γε.*“ Igitur etiamsi plane abjiciendas esse illas particulas non contendit, tamen prorsus externam caussam cur illae legantur, afferens dicit, nulli rei eas inservire nisi enuntiatis explendis. Quamquam e verbis *ἢ κόσμου ἕνεκεν* elucet, a Dionysio ex sensu quodam veri obscuro majorem particulis vim attribui quam earum esse vere praecepit. Nam quod „ornandi“ caussa additur id eum finem summum assequitur ut pulchritudinis speciem rei acquirat animumque moveat. Eodem judicio utitur Gaza p. 257: *οἱ παραπληρωματικοὶ (σύνδεσμοι) οὐδὲν πολλαχῇ εἰς ἔννοιαν συντελοῦσι* et p. 366: *τὸ μὲν ὄνομα ἔσχον ἀπὸ τοῦ τὴν φράσιν παραπληροῖν ἢ μέτρου ἢ κόσμου χάριν.* Atque ex rhetoribus Dionysius Halicarnassensis (de script. veter. cens. II, p. 45) Isocrati vitiosam verborum exaggerandorum cupiditatem exprobrans: *ὥσιε ἀνάγκη παραπληρώμασι λέξεων οὐδὲν ὠφελουσῶν χρῆσθαι.* 2. Alter autem fons unde quae de linguae Graecae abundantibus vocabulis dissipata sunt, manaverunt eo redit ut quamvis effugere non possit quid vocabulum aliquod per se velit, tamen qualem illud vim ad loci certi sententiam habeat, non cognoscatur. Ut Vigerus (de idiotism. Graec. ling. IV, 8 haec praecepit: pronomen

αὐτὸς cum nomine ἕκαστος idem penitus est, quod ἕκαστος per se solum. Quem errasse postea Hermannus in adnotat. ad Vig. 123 (ubi varias ἕκαστος pronominis significationes explicuit) docuit.

Semper fere hic interpretes in falsum judicium deverterunt, quod iis Graecam linguam expedientibus vernacula sua aut alia cognita lingua ante oculos versabatur. Sed in Graeco sermone si quid accuratius et cogitatur et exprimitur quam in sermone Germanico vel Latino vel Francogallico vel quovis alio neque ii simile quidquam praebent, non idcirco Graecus sermo locutionibus significatione destitutis florere dici poterit. Ut constat Graecos in usu καὶ vocis multo frequentiores esse aliis populis neque tamen apud optimos scriptores ullum locum reperiri, quo non aliqua significatione illa praedita sit.

„Abundantia igitur verborum sensu omni cassorum saepe linguae Graecae injuste est inculcata; illamque nominarunt grammatici πλεονασμόν (si verbis utuntur, dicunt πλεονάζειν, παραπληροῦν, παρέλκειν, περιττεύειν. vid. de tota re Weiskium „de pleonasmis Graecis.“ isagog. § 1—12 disputantem).

II.

Attamen etiam exstiterunt qui res accuratius perscrutarentur et pleonasmorum nihil significantium ubi foede essent ficti multitudinem coercerent. Ut jam ex veteribus rhetoribus Demetrius Phal. de particulis illis expletivis melius quam caeteri, de quibus exposuimus,

ita (§ 35) *Τοῖς δή παραπληρωματικοῖς συνδέσμοις χρηστέον, οὐχ' ὡς προσθήκαις κεναῖς καὶ οἷον προσφύμασιν ἢ παραξύσμασιν, ὥσπέρ τινες τῷ Δὴ χρῶνται πρὸς οὐδὲν καὶ τῷ Νῦ καὶ τῷ Πότερον, ἀλλ' ἐὰν συμβάλλωνταί τι τῷ μεγέθει τοῦ λόγου.* Significationem quandam his particulis esse inclusam recte agnovit; sed quum vim in magnificentia vel sublimitate quadam orationi aspergenda positam esse dicit, tamen non sequitur, ut propriam et distinctam cujusvis particulae significationem intellexerit. Deinde jam satis scite de copia dicendi Quintilianum judicasse videmus. Separat enim pleonasmum vitiosum qui nihil significet (I, 5 „adjectionis vitium". IX, 3 „abundantem supra necessitatem orationem") ab eo qui augendi caussa adhibeatur. (IX, 3 „id cum supervacua oneratur adjectione, vitium dicitur, cum autem auget manifestam sententiam, sicut hic, virtus: „vidi oculos ante ipse meos." quot verba, totidem sunt affectus.")

Jam recentioribus quidem temporibus maxime Vigerus et qui eum secuti sunt, ejusmodi multa quae a quibusdam abundare falso dicerentur, propria sua significatione usurpari disputaverunt. Totum autem librum „de pleonasmis Graecis sive commentarium de vocibus, quae in Graeco sermone abundare dicuntur." Benjamin. Weiskius scripsit, ea ratione usus ut „pleonasmi" nomen retinens hujusmodi copiose dicta tractaret, quae magna cum vi adhiberentur. Explicat enim pleonasmi formam ita (Weisk. de pleonasm. Graec. isagog. p. 6) „verborum ad sententiam pro captu populari plenam, sed nudam nec plane politam accessionem, quae verba

quasi supervacanea ignaros offendant, quibus tamen recondita quadam ratione vel dialecticam subtilitatem vel vim ad movendum quocunque modo animum accipiat sententia.“ Quae definitio quum notioni pleonasmi, qualis a grammaticis fere intellegitur, adversetur atque adeo talia quae pleonasmi nomine vulgo non comprehendantur complectatur, me quidem in sequentibus si semel pleonasmi nomine utar, Godofredum Hermannum sequi praemiserim, qui in appendice ad Viger. adnotationes pleonasmum pro ea notione quae fere a grammaticis ei attribui solet, ita definivit ut is contineretur „adjectione vocabuli prorsus abundantis i. e. plane nihil significantis“ vel (ut ait in dissertat. de ellipsi. append. ad Vig. 869), „adjectione vocabuli quod etsi additum tamen non cogitatur.“

Posteaquam Godofr. Hermannus de pleonasmi et ellipseos natura in appendice ad Viger. et copiosius in opuscul. Vol. I, p. 148 disseruit atque primus distinxit qui vere pleonasmi essent et qui falso haberentur, nemo quod sciam de copia dicendi sive ea est pleonastice adhibita sive ab pleonasmi natura abhorret aliudque vult, quidquam continue aut uno tenore scriptum protulit, dum recentissimis temporibus Schmidtius in dissertatione quam scripsit „de ubertate orationis Sophocleae“ (Annalen des Liebfrauenklosters zu Magdeburg. 1855) rem de qua quaeritur rursus recoxit. Intellexit autem ubertatem illam dicendi — ut breviter colligam quae exposuit — copiam esse verborum pro breviori elocutione non sine caussa adhibitam. At quamvis multa Schmidtius de ea re scripserit, tamen neque in

prooemio ille notionem „ubertatis“ pro natura et fine ejus paullo distinctius definivit et in dissertatione subsequenti quia semel permulta ille tractat, nonnulla hujusmodi dicta tam breviter et obiter tantummodo perstrinxit, ut vix qualis eorum sit vis et potestas intelligenda, animo tibi informare possis. Ita Schmidtius in dicendi ubertate quam ipse quoque in vocabulis compositis saepe cerni senserit, explicanda tam exiguam, tenuemque operam consumpsit, ut haec observatio vix inchoata nedum perfecta esse nobis videatur. Quare quum ubertatis regnum quasi et potestas satis spatiosis finibus circumcludatur, nos quidem ipsi quoque de ubertate dicendi quaesituri unum ubertatis genus, quod conspicitur ***in verbis cum praepositionibus compositis*** ad copiosius exponendum nobis proposuimus.

III.

Sed ***notionem „ubertatis dicendi“, qualibus finibus describendam esse*** putemus, antea paucis absolvendum nobis videtur. — Atque primum quidem si ad exteriorem uberius dictorum speciem respexeris, ubertas dicendi similiter ac pleonasmus verborum quadam copia continetur, a quo tamen illam valde differre demonstraturi sumus. — Deinde quum de ubertate Graeci sermonis, sicuti apud Graecum scriptorem ea invenitur, igitur de quadam redundantia et coacervatione dictionis Graecae quaeramus, justus ut ita dicam, dictionis modus et quasi norma requiritur, ad quam referenda sit ubertas dicendi. Quam normam ab ipsius Graeci sermonis indole, sicut ille vocabulis suis et legibus gram-

maticis efficitur, repetendam esse duco. Quod nisi fieret, saepe cum ubertate dicendi aliquid dictum esse opinaremur, quod non nisi ex ipsa Graeci sermonis indole fluxit (pro qua, si alias linguas contuleris, non raro aliquid plenius et cogitatur et dicitur); neque scriptoris Graeci, qua is floret, ubertas dicendi, sed omnino Graeci sermonis propria ac peculiaris ubertas explanaretur.

Ut Weiskius de pleonasm. Graec. plane dissimiles atque natura sua inter se discrepantes locutiones una definitione falso comprehensas tractavit.

Primum enim eiusmodi copiose dicta exposuit quae nos quoque ubertatis nomine notanda esse censeamus, ut si ἴδιος adjectivum αὑτοῦ pronomini reflexivo adjectum est (Plat. Menex. c. 19 ἰδίων αὐτοῦ κτημάτων) id quod necessario ex indole Graeci sermonis non requiritur attamen propter gravitatem fieri Weiskius recte dixit. Deinde tamen — ut unum commemorem — usitata illa pro Graeci sermonis indole genera dicendi ex quibus negatio in una sententia repetitur (p. 158 οὐκ — οὐδέν) aut verba negandi (prohibendi, cavendi) sequitur (ἀπιστοῦντες μὴ εἶναι p. 155) sibi esse exponenda putavit. Cujusmodi vel similes locutiones a nostro proposito esse arcendas apparet. Nam, quae ex syntaxi linguae cujusvis dicuntur, ea neque uberius neque pleonastice dicta hujus linguae habenda sunt. Quare Weiskius libri sui permagnam partem non inscribere debuit „de pleonasmis Graecis“ sed „de idiomatibus Graecae linguae.“

Sermo igitur ipse Graecus, vocabulis suis atque regulis legibusque quibus syntaxis efficitur (vid. Herman-

num in append. ad Vig. p. 866 sqq.) constitutus usuque fixus, ut justus ille modus nobis servandus erit, quem ubertas dicendi non sine caussa transgreditur.

Posteaquam diximus, quae dicta ab ubertate dictionis excludenda sint, nunc cum affirmatione definire conamur, qualis sit illius vis ac natura intellegenda.

Jam Graeci sermonis talis habitus est, ut aut vocabula tantummodo quae prorsus necessaria sint ad cogitationem quandam exprimendam adhibeantur aut talia vocabula simul cum illis proferantur quae quamvis ad eam efficiendam non necessaria sint, tamen egregii alicujus consilii caussa addantur. Ut si legitur Soph. Electr. 1030 *ὦ γενέθλα γεννάίων ἥκετ᾽ ἐμῶν καμάτων παραμύθιον, οἶδα τε καὶ ξυνίημι, τάδ᾽ οὔ τι με φυγγάνει* solum *οἶδα* vel *συνίημι* vel *οὐ φυγγάνει* ad cogitationem hujus loci exprimendam pro grammatica Graeca sufficit; neque tamen haec iteratio sine magna efficacitate a poeta adhibita est. Nam si solum legeretur *οἶδα* haec tota sententia esset Electrae quiete et simpliciter affirmantis. Coacervatione autem facta Electram et magnopere permotam et vehementissime asseverantem indicari nemo negabit. Eodem modo si Phil. vers. 265—275 iterantur locutiones *ἐῤῥιψαν ἔρημον — προθέντες ᾠχοντ᾽ ἔρημον — τότ᾽ ἄσμενοι με λιπόντες ᾠχονθ᾽ — ῥάκη προθέντες*, ubi Jacob in *Sophocleis quaestionibus* ansam sibi datam esse putavit interpolationis animadvertendae atque etiam Buttmannus (Phil.) neglegentiae notam se invenisse gloriatur. At egregia nobis esse videtur ea iteratio ejusdem cogitationis atque adeo eorundem vocabulorum. Etenim Philoctetes

affectu permotus loquitur. Quid igitur? si eandem hanc cogitationem, ut sit derelictus et illorum decessu infortunio objectus, per iterationem auget, nonne id indicium affectus forti sermone utentis? Neque hominis affectu permoti est verba anxie et caute variare vel eligere; sed vehementia animi ita rapitur, ut *eadem* verba quae facillime se offerunt, iteret.

Igitur ubertatem dicendi perspicuitati inservire vides et utroque quidem loco, quem attulimus, affectum personae perspicuum reddi. Quae cum ita sint, „*ubertatem dicendi ita definimus, ut eo contineatur quod scriptor iis notionibus, quae ad cogitationem aliquam exprimendam pro grammatica sint necessariae, unam vel complures notiones per se non necessarias perspicuitatis caussa adjiciat.*“

Jam *Graeci sermonis indole* et *consuetudine ipsa* ut norma utentes, ad quam copiose dicta revocanda sint, nos quidem firmioribus fundamentis niti putamus quam Weiskium in definienda pleonasmi notione (quo ut jam commemoravimus p. 9 ille et copiose dicta et Graeci sermonis idiomata comprehendit). Is enim *captu populari* ut norma utitur, ad quam copiose dicta revocanda sint et quasi metienda. Vid. Weiskii definitionem (a nobis supra [p. 6] prolatam) ubi dicit „pleonasmum verborum ad sententiam pro captu populari plenam, sed nudam nec plane politam esse accessionem.“ Deinde Weiskius in isagog. pag. 6 ubi hunc quem dixit captum popularem explicat „homo de populo talem sententiam integram putet, neque quidquam in ea desideret, quoniam verba relicta sufficiant ad eam utcunque intellegendam.“

Et paullo post: „tardiores et homines de vulgo id aegre sentiunt.“ Concedes, opinor, captum hunc popularem admodum vacillans esse et fluidum phaenomenon. Est notio tam incertis et labantibus finibus circumscripta, ut neque unde ordiantur nec quo usque pateant comperias. Certe homines de populo vel de vulgo | ut ait Weiskius | saepe altiora quam pro captu populari cogitant.

Quodsi „*Sophocleam*“ *ubertatem dicendi* in sequentibus expositurí sumus, eam ita intellegendam voluerimus ut comprehendat omnia, quae apud Sophoclem inveniantur pro Graeco sermone copiose dicta, non ea tantummodo quae apud illum scriptorem solum exstent. Neque enim id agimus ut a Sophocle inchoata aut inventa tractaturi simus sed ut ubertatem dicendi, qua insignis est sermo Graecus, in illo scriptore egregio detegamus. Atque etiamsi in his copiose dictis, quae alias non inveniantur eaque de caussa a Sophocle egregio consilio novata esse nobis conjicere liceat, maxime ingenium Nostri admirandum sit, tamen etiam in his locutionibus, quae magis frequentatae sint, scriptori ipsi ascribendum erit si magno cum delectu et sentiens ut cogitatio quaedam quam aptissime exprimenda esset, copiosius dictum breviori et simpliciori anteferebat. Denique apparet si graecae dictionis ubertatem in Sophocle scriptore demonstraturi sumus, tum necessario nobis etiam ea tractanda esse, quae Sophoclis propria ab eoque inventa sint, etiamsi haec a caeteris copiose dictis non distinguantur.

IV.

Ut ad aliud transeam, ex iis quae adhuc de ubertate dicendi dixi, ***in compluribus collocatis vocabulis*** eam maxime esse exstituram apparebit quum unum idque simplex (non compositum) vocabulum unam notionem inclusam contineat cui aliam notionem addere non possis. Nihilo minus tamen ***etiam unum vocabulum quodammodo copiose dici*** posse censemus, si quidem ita usurpatum est, ut aliud vocabulum minus significans substitui possit neque tamen cogitatio dirimatur sed minus distincte tantum proferatur. Ita Schmidtius de ubertate orat. Sophocl. p. 3—5 nonnulla simplicia verba cum ubertate quadam dicendi usurpata affert. Sunt autem: *πεφυκέναι, καλεῖσθαι* et similia, *τρέφειν*, quae Schmidtius recte dixit nunquam apud Sophoclem aeque adhiberi ac nudum *εἶναι*. Id ipsum enim si locis de quibus agitur legeretur, sufficeret. Quare quidam interpretes vere putaverunt illa verba instar *εἶναι* verbi usurpari. Ut Wunderus ad Elect. 1124 *ἐγὼ δ' ἀδελφῇ σοι προσηνδώμην ἀεί* falso vertit: ego et mater et nutrix et soror tibi *fui*.

Sed in universum jam Schmidtius de ubertate horum verborum recte judicasse nobis videtur, quare nos ipsi de ea re copiosius non exponimus. Liceat nobis modo explanare quid cum Schmidtio dissentiamus.

Neque enim *καλεῖσθαι* verbum et similia — id quod Schmidtius contendit — gloriae vel infamiae vel superbiae vel dulcedinis notionem inclusam habent. Immo gloriae vel ignominiae notio inhaeret voci quae in vici-

nitate *καλεῖσθαι* verbi legitur. Ut si El. 365 dicitur *νῦν δ' ἐξὸν πατρὸς πάντων ἀρίστου κεκλῆσθαι καλοῦ τῆς μητρός*, quum Agamemnon pater magni aestimaretur, Clytaemnestra mater propter adulterium et caedem contemneretur, necessario *compellatio* quae est „filia matris" ignominiam secum ferebat. Igitur illi ipsi *compellationi* inserta est notio *infamiae*, non *καλεῖσθαι* verbo, ut vult Schmidtius. Eadem res est de „*gloriae*" notione. Oed. R. 1204, quae in *βασιλέως* nomine inest aut si de „*superbia*" agitur Trach. 149 aut si quis cum *dulcedine* compelletur. El. 1124. Jam si quaeras, unde fiat ut his, quos attulimus, locis pro *εἶναι* plenius *καλεῖσθαι* verbum scripserit Sophocles, res ita se habet: „Laudis aut infamiae" — ut his exemplis utar — vis quum in eo potissimum conspiciatur quod ii, qui gloria aut infamia affecti sunt, tales ab caeteris hominibus *agnoscantur*, aptius ad gloriae vel infamiae naturam dixit scriptor *καλεῖσθαι, ὀνομάζεσθαι*, quam *εἶναι*. Etenim ex variis modis alicujus rei agnoscendae unus et princeps est *sermo* quia nulla re magis quam nomine, quod rei indimus, eam ipsam denotatam volumus.

Jam Schmidtius si illis verbis notionem substituit „*ex sententia alicujus esse*" a scopo aberrasse mihi videtur. Quid enim? Haeccine gloriae est aut infamiae vis, ut homines illustres aut infames habeantur? Sane, si quidem illi vere sunt illustres aut infames. At non infamiae est, infamem haberi neque tamen esse, aut gloriae, illustrem haberi neque tamen esse. Igitur Schmidtius interpretari debuit „qualis vere quis sit, talem haberi" id quod melius uno „agnoscendi" verbo

comprehenditur. Sed ne aptum quidem nobis esse videtur, quod Schmidtius propriae *καλεῖσθαι* significationi hanc abstrusam substituit. Etenim quum poëtae maxime proprium sit, res sensibus subjicere, aptius nobis esse videtur, quia magis poeticum est, si homines illi, laude illustres aut infames, dicuntur tales ab hominibus *praedicari*, quam si dicuntur ab iis occulto et tacite tales agnosci. Nam „nomen“ ad sonum redit et quasi oculis subjicit famam illam in extollendo aut detrectando occupatam.

Jam ut *has Schmidtii operas* mittam admodum pauca sunt ejusmobi simplicia vocabula, quae cum ubertate quadam usurpata esse dixeris, quum notioni aliam substituere possis minus significantem, quae ipsa quoque si legeretur ad cogitationem, quamvis minus dilucide, exprimendam sufficeret. *Ubertas dicendi minus in singulis iisque simplicibus vocabulis detegitur quam in compluribus conjunctis.* Compluria autem vocabula ita consociantur ut aut eorum quidque per se vocabulum efficiat ut illa, quae supra attulimus, *οἶδα, ξυνίημι, οὐ φυγγάνει,* aut duo in unum vocabulum compositum contracta sint.

V.

Quod *ad composita vocabula* attinet, in *iis ubertas dicendi eo continetur* quod scriptor composito vocabulo ita utitur, ut altera ejus pars quamvis ad cogitationem, quae loco quoque exprimitur, exprimendam non necessaria sit, tamen ad rei statum dilucidius describendum addatur. Compositorum autem vocabulorum

varia genera esse ut verba, substantiva, adjectiva, adverbia notum est. De *verbis* quidem copiosius quaesivimus. Attamen etiam qualem ubertatem, quam diximus dicendi in *aliis vocabulis compositis* intellegendam esse putemus, exemplis quibusdam antea demonstramus.

Jam supra (p. 3) diximus pleonasmos a grammaticis saepe esse fictos, quum non intellegerent aut quid vocabulum aliquod pleonastice exstare creditum per se significaret aut quid certo quodam loco illud vellet. Hujusmodi generis ut dubitari quidem non possit quid alterutra compositi pars per se significet sed in dubium vocari vel possit vel vere vocatum sit, num illa pars, sicuti cum simplici vocabulo conjuncta legitur, quam vim habeat sunt ea quae nunc exponimus composita: 1. Legitur *δορύξενος* compositum apud Sophoclem Oed. Col. 632: *Θησεύς· τίς δῆτ' ἂν ἀνδρὸς εὐμένειαν ἐκβάλοι τοιοῦδ' ὅτου πρῶτον μὲν ἡ δορύξενος κοινὴ παρ' ἡμῖν αἰέν ἐστιν ἑστία;* et Electr. v. 46 *λόγῳ δὲ χρῶ τοιῷδ' ὅτι ξένος μὲν εἶ Φωκεύς, παρ' ἀνδρὸς Φανοτέως ἥκων· ὁ γὰρ μέγιστος αὐτοῖς τυγχάνει δορυξένων.* *ξένος* notio, si legeretur, ipsa quoque ut necessaria sufficeret. Attamen egregie neque sine caussa Sophocles scripsit *δορύξενος*. Jam quid *δόρυ* per se significet, notum est. At difficultas in eo sita est, quid *δόρυ* sicuti in hac compositione legitur, significet. Reisigius quidem et Wunderus pro simplici et generali vocabulo *ξένος* compositum apud tragicos usurpari volunt ut *δόρυ* altera pars nullam jam vim habeat sed pleonastice legatur. Quam sententiam falsam esse nobis persuasum est.

Ac primum quidem juvat attulisse, quae veteres lexicographi et interpretes de hoc composito commemoraverunt. Pollux enim libr. III § 60: *δορύξενος ὁ ἐκ τῆς κατὰ τὸν πόλεμον ἐπιμιξίας τὴν γνῶσιν πεποιημένος.* Pausanias: *ὁ ἐκ πολεμίων φίλος καὶ ὁ πρεσβεύων περὶ λύτρων εἰ ζωγρηθεῖέν τινες. Σοφοκλῆς δὲ ἢ παραχρῆται τῇ λέξει ποιητικώτερον ἢ ὁριμέως δορυξένους λέγει τοὺς τοῖς φονεῦσι τοῦ Ἀγαμέμνονος φιλιωθέντας ἵνα πολεμικῶς ἐχθραίνωσι τοῖς ἐκείνου παισίν· ὡς εἶναι οὕτω δορυξένων εἰπεῖν καὶ τὸν χάριν δουρὸς ἤτοι πολέμου συμμαχικῶς ξενισθέντα ὑπό τινος. scholiastes ad Electr. 46 δορυξένων ἀντὶ τῶν φίλων· κυρίως δὲ οἱ ἐν πολέμῳ γιγνόμενοι φίλοι ὡς Γλαῦκος καὶ Διομήδης. scholiastes ad Col. 632 ἢ δορύξενος. φίλος. ἁπλοϊκώτερον δορυξένους καλοῦσι καὶ τούς ὁπωσδηποτιοῦν ἐπιξενωθέντας ἢ ἐπιστατικοὺς καὶ πολεμίοις φίλους.*

Vides „belli“ notionem a nullo interprete ex *δορύξενος* voce excludi. Pausanias quidem dicit, a Sophocle vocabulum notione simplicis usurpari, *δόρυ* partis significatione oblitterata. Attamen duabus caeteris, quas affert, interpretationibus significationem *δόρυ* vocis agnoscit. Eadem res est in scholiastis primum denegantibus deinde agnoscentibus vocis vim. — *Jam quaeritur num una ex his interpretationibus Sophocleis locis adaptari possit.* Atque Pausaniae prima quidem *ὁ ἐκ πολεμίων φίλος* etc. neque Electr. neque Colon. loco convenit. Alteram autem *Σοφοκλῆς δὲ ἢ παραχρᾶται τῇ λέξει ποιητικώτερον,* quae eadem est ac scholiastae utriusque prima quaeque explicatio et recentiorum Reisigii Wunderique, falsam esse id ipsum demonstraturi sumus.

Tertia *ὡς εἶναι οὕτω δορυξένων εἰπεῖν καὶ τὸν χάριν δουρὸς ἤτοι πολέμου συμμαχικῶς ξενισθέντα ὑπό τινος,* ut antecedens, a Pausania inope consilii, quid compositum velit, ficta est. Primum enim *ἤ — ἤ* disjunctionis forma indicat illum dubitantem et, quia vacillat, duplicem viam explicandi aperientem. Deinde quum non solum ex Electr. v. 46 *ὁ γὰρ μέγιστος αὐτοῖς τυγχάνει δορυξένων* sed etiam ex Elect. 670 (Clytaemnestra paedagogo dicit *παρὰ φίλου γὰρ ὢν ἀνδρὸς σάφ' οἶδα, προσφιλεῖς λέξεις λόγους*) appareat, Phanoteum hospitio et amicitia cum Agamemnonis occisoribus conjunctum fuisse, Electrae fabulae respectu ubi illi contra Agamemnonis liberos hostiliter sentiunt, facile quispiam in eam sententiam declinare poterat ut *δορύξενος* esset intellegendus hospes ad hostes oppugnandos acquisitus. Denique, id quod plurimum valet, haec interpretatio, quia solius Electrae fabulae respectu ficta est, non quadrat in Oedip. Colonei locum. Neque enim intellegitur quid ibi hujusmodi hospitium velit neque, ut fit in Electra, ulla ausa datur, ex fabulae narratione hujus significationis fingendae. — Non melior quam Pausaniae explicatio est ea quam Pollux profert: *ὁ ἐκ τῆς κατὰ τὸν πόλεμον ἐπιμιξίας τὴν γνῶσιν πεποιημένος.* nimis Homericam haec olent fabulam quae narratur de Diomede et Glauco, quam ut fidem habere possis. Et quantopere haec explicatio abhorreat ab Colonei loco facile intellegitur. Vix enim de civitatibus Atheniensium et Thebanorum dici potest quod valet ad duas personas. *Restat nobis altera scholiastae ad Oedip. Colon. explicatio: „ἢ ἐπιστατικοὺς καὶ πολεμίοις φίλους.",*

ut sit *δορύξενος* intellegendus „hospes qui praeter caetera hospitii officia etiam (*καὶ*) hoc praestat, ut belli temporibus hominis alterius, quocum est conjunctus, partes sequatur.“ Patet enim scholiastam eo sensu scripsisse *ἐπιστατικούς* ut sit derivandum ab ea significatione, quam *ἐφίστημι* intransitive dictum saepius habet: „alicui hostiliter instandi, in aliquem invadendi“ ut Hom. Il. *E* 624 de hostibus *Τρώων οἳ πολλοί τε καὶ ἐσθλοὶ ἐφέστασαν ἀλλήλοισιν.*

Quin, etiamsi quis scholiastae verba aliter explicare vellet, tamen *δορύξενος* vocem ea significatione, quam diximus inesse in scholiastae verbis, praeditam esse contenderemus. Primum enim compositionis forma ipsa non obstat quin intellegamus „hominem qui hospitio cum aliquo ita conjunctus sit, ut etiam belli temporibus eum juvet.“ Deinde haec explicatio egregie convenit Sophocleis locis. Nimirum qui hospes cum altero hujusmodi hospitium sustineat, ut etiam casibus belli irruentibus illi auxilietur, is *certissimus* est habendus. Nunc felicissime procedit Electr. vers. 46 *ὁ γὰρ μέγιστος αὐτοῖς τυγχάνει δορυξένων. Nam nuntio, opinor, non a quovis hospite, sed a fidelissimo hospite*, qui quondam etiam belli tempore Aegisthi et Clytaemnestrae rebus se fauturum esse spoponderat, *misso fieri non potuit quin ii maximam fidem haberent.*

Sed ne opus quidem nobis videtur in *δορύξενος* voce hanc „belli“ notionem etiam retinere. *Omnino δορύξενος est „certissimus hospes“* et *δορυξενία „certissimum hospitium.“* Ita etiam Colon. vers. 632 egregie convenit *δορύξενος*. Theseus dicit: *τὶς δῆτ᾽ ἂν ἀνδρὸς*

εὐμένειαν ἐκβάλοι τοιοῦδ' ὅτου πρῶτον μὲν ἡ δορύξενος κοινὴ παρ' ὑμῖν αἰέν ἐστιν ἑστία. δορυξενία illa significat artissima hospitii vincula. Cujusmodi hospitem minus quam alium ullum a Theseo et Thebanis excludi potuisse apparet.

Favet nostrae explicationi etiam hoc, quod utroque loco *epitheta accedunt* quae ipsa quoque necessitudinem hospitii ut *firmissimam* et artissimam extollunt. Ita Electr. versu 46 legitur *μέγιστος δορύξενων;* Colon. versu 632 *κοινὴ* ad hospitium publicum spectat quod sanctius est quam privatum. Deinde *αἰὲν* exstat; etenim hospitium antiquitus ictum firmius est. — Igitur egregio consilio Sophocles nobis videtur *δορύξενος* voce usus esse pro simplici *ξένος* vocabulo. ut illa primo significaverit „hospitem cum altero ita consociatum ut etiam belli temporibus eum juvet," (non hospitem, ut ait Pausanias, *χάριν δουρὸς* i. e. belli gerendi *caussa* cum aliquo conjunctum) postea transierit in notionem *„certissimi hospitis"*.

2. Tum ex his vocabulis, de quibus exponimus, compositis quaedam sunt ita conformata ut altera pars abunde adjecta esse videri possit, quod ejus notio jam alterius partis notione exprimatur. Ut si legitur Antiq. 742 *ὦ παγκάκιστε διὰ δίκης ἰὼν παιρὶ,* aut superlativi forma aut *πᾶς* altera pars supervacanea esse dici potest, quum *πᾶς* adjectivum alteri adjectivo adhaerens superlativi vim efficere soleat, ut valeat *πάγκακος* idem ac *κάκιστος,* ut vere utraque forma legitur apud Aristoph. Ran. 464 *ὦ μιαρὲ καὶ παμμίαρε καὶ μιαρώτατε* (vid. Vig. p. 95 infr. 18). At quamquam ex logica arte altior qua-

litatis alicujus gradus quam qui superlativo exprimitur cogitari non potest, tamen, si de gradu quam maxime extollendo agitur, superlativus quasi ad illum exprimendum is non sufficiat, addita πᾶς voce etiam augeri potest, praesertim quum superlativi formam in omnibus fere linquis ut frequenti usu aliquid debilitatam usurpari constet. Nostro igitur loco Creonti vehementissime Haemoni irascenti mirum quantum convenit παγκάκιστε compellatio. Nam affectus animusque concitatus qui gravissimis vocabulis utitur, summa cum perspicuitate ita denotatur. Eadem est res, quum παγκάκιστε legitur Trach. 1124. vel πανύστασος. Trach. 875. Similiter si, quamvis composito non exstante, dicitur πλεῖστον κάκιστος. Oed. Col. 743. πλεῖστον ἐχθίστης. Phil. 631.

Huc pertinent vocabula *bicomposita*, in quibus eadem notio dupliciter exprimatur ut alterutra pars πλεονάζειν putari possit. ut αὐθόμαιμος. Oed. Col. 335. οἱ δ' αὐθόμαιμοι ποῦ νεανίαι πονεῖν; Jam ὅμαιμος significat eum qui est ἐκ τοῦ αὐτοῦ αἵματος. ut legitur Oed. Col. 1772. Item αὔθαιμος. Oed. Col. 1078. Neque tamen αὐθομ iteratio frustra adhibetur. Nam si quidem repetita notio fortius sentitur, aptissime hoc loco notio „ejusdem generis" augetur. Quo gravius enim Oedipus iratus eam pronuntiat, eo acerbius filiorum in patrem neglegentiam impiosque mores castigat. „Nimirum quamvis illi origine quidem *ne minimum quidem* (hoc vult iteratio) a filiabus Oedipodis discrepent, tamen moribus et ingenio prorsus ab iis differunt." Wexium quidem qui ad Ant. v. 1. αὐθόμαιμος explicat effugisse videtur compositionis vis.

3. Porro inveniuntur adjectiva ita composita, ut simplicis notio vere se augeri non patiatur, nihilo tamen minus *πᾶς* augendi vi praeditum additum sit. ut *πάγχαλκος* Elect. 195 *ὅτε οἱ παγχάλκων ἀνταία γενύων ὥρμάθη πλαγά.* Quae res „aenea“ dicitur, ea non cogitatur nisi tota ex aere facta, neque *χαλκοῦς* qualitatis altior gradus exstat. Attamen is fingitur, quum dicitur *πάγχαλκος*, idque egregie. Nam quum de aeris mortifera vi et summa perniciositate hoc loco agatur, poëta optime illam ita expressit, ut majorem gradum ejus qualitatis unde exitium et mors nascitur simularet. Nunc dicitur securis ictus *quam perniciosissime* Agamemnonem percussisse. — Item si El. 510 *παγχρυσέων δίφρων* legitur, id fit quo magis Myrtili divitiae extollantur.

Sed ulterius de his compositis explanare non molimur. Ex exemplis quae exhibuimus, apparebit, quae composita hujus generis in copiose dicta referenda esse censeamus.

VI.

Unum nobis hoc relinquitur ut *de fine et consilio „ubertatis dicendi“*, quam jam supra „perspicuitati“ inservire indicavimus, paullo accuratius exponamus. Jam vidimus *aut animi affectum* copia dicendi adhibita perlucidius exprimi ut El. 1030 ubi pro *οἶδα* leguntur *οἶδα, ξυνίημι, οὔ με φυγγάνει.* (vid. p. 10) Oed. Col. 335. ubi pro *ὅμαιμος* aut *αὔθαιμος* exstat *αὐθόμαιμος* (p. 21) Ant. 742 ubi pro *κάκιστος* dicitur *παγκάκιστος aut aliam quamvis rem*, ut El. 46 et Col. 632

δορύξενος aptius ad naturam „certissimi hospitii“ dicitur quam ξένος. El. 510 πάγχρυσος melius quam χρυσοῦς ad denotandam divitiarum magnitudinem. El. 195 πάγχαλκος praeclarius quam simplex ad designandam summam perniciem. — Deinde *notio copiose addita aut augendi* vi erat praedita ut πᾶς in παγκάκιστος, πάγχρυσος etc. *aut cum alia* eaque simili *notione collocata augendi vim* iteratione facta *adsciscebat* ut in αὐθόμαιμος aut in οἶδα, ξυνίημι, οὔ με φυγγάνει, *aut* augendi vi non praedita *aliud quid significabat* ut δόρυ in δορύξενος. — Sed ubique ubertatem dicendi, sive affectui sive alii rei perlucidius exprimendae ea inserviebat, sive augendi vi sive alia significatione notio, copiose addita, praedita erat, uno eodemque munere perspicuitatis efficiendae functam esse intelleximus.

Quare non assentimur iis, qui ubertatis dicendi officia *compluria* esse voluerint. Ut Matthiaeus (grammat. [p. 636] ubi de pleonasmis loquitur, re vera autem, ut ex exemplis allatis intellegitur, uberius dicta tractat) monet, pleonasmos duplici ea virtute instructos esse, ut *aut poëtice* cogitationem perlucidiorem reddant *aut rhetorice* gravitatem ei suppeditent. Sed primum: non cogitatio perlucidius aut gravius exprimitur, sed *rei* status, cujus forma tantum et quasi imago sit cogitatio. Deinde si res ad naturam suam aptius cum quadam vi vel *gravitate* describitur, ut supra diximus *affectum animi* delineari verborum coacervatione quae augendi vim habeat, nonne id ipsum quoque *perspicuitatis* est? Tum si qua res vi augendi, unde gravitas oritur, perspicua redditur, etiam hoc *poëtice* fit. Est enim poetae

(*ποιητοῦ*) rei cujusvis naturam ad veritatem i. e. perlucide describere.

Similiter Weiskius in definitione pleonasmi, quo nomine ab eo· et idiomata Graeci sermonis et copiose pro Graeci sermonis indole dicta comprehendi, jam supra (p. 9) diximus, *duplicem* vim pleonasmi esse dixit eamque ita circumscripsit, ut ***vel dialecticam subtilitatem vel vim ad movendum*** quocunque modo *animum* acciperet sententia. At haec quoque ita non differunt ut duplicem inde finem ubertatis colligere possis. Ut si affectus per iterationem similium vocabulorum exprimitur, haec est *dialectica subtilitas;* nam affectus natura magis ad veritatem ita describitur. Igitur ut Weiskii verbis utar, sententia accipit dialecticam subtilitatem. Jam iteratio verborum etiam *vim* habet ad animum nostrum movendum. Nam affectum, quo quis perturbatur, nos ipsi, affectus iterata verba vel legentes vel audientes, sentimus. Igitur, ut ait Weiskius, *vim* ad movendum nostrum animum sententia accipit. Quid tandem sententia re vera nunc accipit? *subtilitatem dialecticam* an *vim* ad movendum animum? *Utrumque,* opinor, accipit. Atque sic quidem non solum in affectu, sed etiam in quavis alia re, quae ubertate dicendi accuratius describitur, res se habet. ***Subtilitas dialectica*** in eo versatur, quod res aliqua verius ad naturam suam definitur. Quod si fit, simul vis ad movendum animum oritur, quoniam vocabulum, copiose ad rei naturam describendam adjectum, novam notionem animo adducit, quam si is comprehendit, movetur.

Igitur qui vere unus finis est ubertatis, eum Weiskius non debebat in duo diversos dissecare.

Quae cum ita sint, *unum tantummodo*, ut jam diximus, *officium* quod continetur *studio perspicuitatis efficiendae, ubertas dicendi habet.* Quae perspicuitas quum pro rei quae describitur, statu paullo accuratius se describi admittat (ut jam p. 22 indicavimus) id fecimus in sequenti *de dictionis Sophocleae ubertate, quae in verbis cum praepositionibus compositis conspicitur*, quaestione. Ad hoc enim nostrum propositum, posteaquam quae necessaria sunt ad „ubertatis dicendi" notionem qualem eam intelligendam esse velimus, definiendam praemisimus, nunc progredimur.

VII.

Invenies saepe *pro simplici verbo*, quamvis id quidem, quia notionem pro graeca grammatica necessariam ad cogitationem loci alicujus exprimendam continet, sufficiat, *compositum cum praepositione verbum* copiose ita esse scriptum ut ea rei de qua agitur statui magis ad veritatem describendo inserviat. Ut si Electr. 1223 *τήνδε προςβλέψασά μου σφραγῖδα πατρὸς ἔκμαθ' εἰ σαφῆ λέγω* legitur pro *μάθ'* simplici verbo, quod ipsum quoque si scriptum esset, sufficeret (quia necessariam pro graeca grammatica notionem ad cogitationem hujus loci exprimendam continet) compositum verbum *ἔκμαθ'* copiosius dictum, hoc propterea fit, quod hoc loco non solum de cognoscendo, sed de „penitus accuratissime cognoscendo" agitur. Igitur *ἐκ* praepositio quae notionem „discendi, cognoscendi" mutet in notionem *„perdiscendi, penitus discendi"* rei statui magis ad veritatem describendo consulit.

a) Apparet autem, si praepositiones in his compositis copiose usurpatas tractaturi simus, ejusmodi tantum exempla a nobis innui, in quibus praepositio non ad relationem, quae exprimitur per casum, clarefaciendam requiratur (vel, ut vulgata sed falso frequentata, locutione utar: „ubi praepositio non casum regat") sed *ubi praepositio adverbialiter posita sit.* Distinguendum est enim in vocabulis quae dicuntur praepositiones, utrum etiamnunc *adverbialem,* quae est genuina (Bernhardy Syntax) significationem habeant, an jam *praepositionalem* induerint. Quam differentiam qualis esset, optime exposuit Godofr. Hermannus de emend. Graec. grammat. ratione cap. XIV (p. 161—163): „praepositiones eo differunt ab adverbiis, quod non conditionem rebus inhaerentem, sed rationem eam, qua quid ex alio pendeat, significent, quam rem relationem notionum appellamus. Igitur praepositiones quum relationem notionum indicent, facile intellegitur, quare casum regant. Etenim casuum vis et virtus similem usum, ut praepositiones, habet. Quippe casus diversas notionum inter se relationes indicant, quarum ratio quum accuratius definiatur praepositionum accessione, *clarum est, quare praepositiones non possint casu carere.* Idque sic debet verum existimari, ut etiam adverbia, si quando casum regant, veluti *πρόσθεν, ὄπισθεν, χωρὶς,* praepositionum loco, non adverbiorum habenda sint, praepositiones autem, ubi sine casu sunt, velut *ἐν, σὺν, πρὸς,* intus et simul et praeterea significantes, adverbia, non praepositiones censere oporteat." Eodem modo disserit Matthiae. grammat. graec. 572.

Igitur, id quod voluimus demonstrare, *manifestum est, hujusmodi omnia composita, in quibus praepositio praepositionalem vim habeat, non adverbialem, inter copiose pro simplicibus verbis dicta referri non posse.* Ut si legitur Electr. 587: *ἥτις ξυνεύδεις τῷ παλαμαίῳ μεθ' οὗ πατέρα τὸν ἀμὸν πρόσθεν ἐξαπώλεσας* praepositio *σὺν* ad declarandam relationem, quae exprimitur per dativum casum, necessaria est, neque enim *εὕδειν τινὶ* dicitur ex usu sermonis. igitur praepositio, quia praepositionalem vim habet et cum casu est conjungenda, necessaria est habenda. Dixit quidem Matthiaeus 594, 2, in compositis verbis semper adverbialem vim inesse praepositioni sed hoc falsum esse elucet ex exemplo quod modo attulimus.

Jam si liquet, in verbis his compositis quae pro simplicibus cum ubertate quadam dicendi adhibeantur praepositiones *adverbialiter* positas esse, ut cum casu non sint conjungendae, paullo accuratius hoc demonstramus. 1. Primum praepositio *plane adverbii instar* legitur, ut *ἐκ* in illo (quod attulimus supra p. 25) *ἐκμανθάνω.* Hic *ἐκ,* loci significatione deposita et tralata vel ethica significatione accepta „absolutionis, perfectionis" (Vig. p. 602 infra 8), nihil habet nisi vim augendi ut sit vertendum: „penitus, valde discere, cognoscere." Vel ut verbum afferamus ubi praepositio ipsa quoque plane adverbii instar, attamen non augendi vi praedita legitur: *ὑποστενάζειν.* Aj. 322 *ἀψόφητος ὀξέων κωκυμάτων ὑπεστέναζε,* ubi *ὑπὸ* significat „clam." 2. Deinde praepositio ita legitur, ut *adverbii speciem prae se ferat,* quod casus non adsit, quocum conjungi possit,

attamen explicandi caussa casus supplendus sit, ad quem si praepositionem revocaveris, adverbialem vim exuet et vere praepositionalem sibi induet. ut in *ἐφαρμόσαι* Trach. 623 (*οὔ τοι μὴ σφαλῶ γ' ἐν σοί ποτε, τὸ μὴ οὐ τόδ' ἄγγος, ὡς ἔχει, δεῖξαι, φέρων λόγων τε πίστιν ὧν ἔχοις ἐφαρμόσαι*) *ἐπὶ* adverbii speciem praestat, cum casus non adsit, ad quem referatur; at si explicandi caussa *τῷ ἄγγει* suppleveris, *ἐπὶ* jam non adverbialem potestatem habebit, sed vere praepositionalem.

3. Tum praepositio ita exstat ut casus quidem adsit, quocum illa eo sensu quo legitur, conjungi possit, neque tamen id fieri debeat, quum ex usu sermonis jam simplex, nulla praepositione in auxilium vocata, cum mero illo casu jungi soleat neque igitur praepositione opus sit ad relationem, quae per casum exprimitur, illustrandam. Quare etiam hic praepositio adverbialiter legitur. Ut *ἐμοὶ πρόσεστιν.* El. 653 *καὶ τέκνων ὅσων ἐμοὶ δύσνοια μὴ πρόσεστιν ἢ λύπη πικρά. πρὸς* quidem sensu „vicinitatis, propinquitatis“ cum *ἐμοὶ* casu, qui adest. conjungi potest. Neque tamen hoc est faciendum quia jam *εἶναι* simplex cum mero dativo (*ἐμοὶ*) ex usu sermonis optime construitur ut nulla praepositione opus sit ad relationem, quae per casum (dativum) exprimitur, clarefaciendam. Igitur *πρὸς* in *πρόσεστι* adverbii vicibus fungitur.

4. Denique praepositio adverbialiter ita usurpatur, ut casus quidem adsit, quocum illa conjungi *pro sensu* possit, neque tamen hoc fieri debeat, et propterea quod ex usu sermonis jam simplex cum mero illo casu conjungi solet neque igitur usitatum est, ullam praeposi-

tionem ad relationem quae casu exprimitur, clarefaciendam adhiberi, et quia praepositio ea significatione qua legitur cum alio casu ac qui adest vulgo consociatur. ut si legitur *παραπέμπειν τινί*. Phil. 1458 *παρέπεμψεν ἐμοὶ σιόνον ἀντίτυπον*. Pro sensu quidem *παρὰ* ad dativum spectat; nam per eum designatur, *ad quem* mittatur, id quod ipsa quoque *παρὰ* praepositio significat. Attamen ea cum dativo conjungi non debet, primum, quia jam simplex *πέμπειν* cum mero dativo conjungi usitatum est, deinde quia significatione „ad“ ubi motus, non quies, denotatur, *παρὰ* non cum dativo, sed cum accusativo construitur (Vig. 644, infr. 21). Igitur *παρὰ* quia casum, ut ita dicam, non regit, adverbialiter dictum est.

Hos igitur quattuor modos adverbialis usus, quo praepositiones in verbis compositis copiose vel cum ubertate quadam dicendi *adhibentur*, reperimus. Sed apparet, id quod vix commemorandum videtur, non ubique, ubi praepositio in composito adverbialiter dicta sit, eam esse copiose additam. Ut in *ἐκπλήττεσθαι* si de motu vel perturbatione animi dicitur, *ἐκ* praepositio, quamvis adverbialiter dicta, necessaria est, quia *πλήττεσθαι* simplex de eadem re non usurpatur.

b) Transgredior ad aliud. *Harum* in compositis *praepositionum* copiose dictarum, *qualis sit vis et significatio, a quibusdam tantopere non est intellectum*, ut iis otiose illae praepositae esse viderentur. Ut Weiskius praepositionibus hunc in modum in compositis usurpatis de pleonasm. Graec. isagog. § 9 omnem vim abjudicandam esse censuit atque si quis in ea demonstranda operam consumeret, eas argutias esse dixit

quae a vero abducerent. Quare Eustathium reprehendit ad Iliad. β 267 (ubi legitur *σμῶδιξ ὑπανέστη*) singularum praepositionum in composito potestatem explicaturum. Sed Eustathius, quod ita sentit, maxime est laudandus et scite ille *„ἰστέον γὰρ, ὅτι οὐδαμοῦ στοιβὴν προθέσεων μάτην οὕτω τίθησιν ὁ ποιητὴς, ἀλλ᾽ ἑκάστη τῶν συγκειμένων σημαίνει τι.* Id tantum addiderim, ut in his compositis, quamvis sua quaeque significatione praepositio sit affecta, tamen non credibile sit, unius cujusque praepositionis vim tam separatim a Graecis hominibus esse perceptam, quam a nobis singulas observantibus. Immo compluribus praepositionibus cum simplici verbo consociatis *universa*, ut ita dicam *notio sentiebatur*, non *singulae notiones*. — Melius tamen Weiskius judicavit p. 182 in praemonitis ad pleonasm. Graec. ita „quaedam esse composita quae plus significarent quam simplicia," ut *προδιδάσκειν* esset „plane docere" *προμανθάνειν* „studiose ac penitus perdiscere." Quae eadem composita Brunckius ad Aristoph. Nub. 987 perperam dixit pro simplicibus esse dicta.

Sophocles autem, ad quem nunc me converto, ut plurimi ex Graecis scriptoribus id fatum effugere non potuit, ut ex grammaticorum erroribus in hujusmodi compositis praepositio saepe pleonastice dicta esse putaretur. Etenim ille quum admodum raro simplex verbum posuerit ubi compositum necessario requiratur, saepissime compositum vocabulum ex perspicuitatis studio ita adhibuit, ut simplex si legeretur, sufficeret. Itaque fieri potuit, ut qui sublime et subtile genus loquendi et poetae et graeci sermonis non cognitam ha-

berent, ii illam verbositatem inutiliter pro breviore dicendi ratione adhibitam esse opinarentur. At quae ignorantibus aut temere judicantibus sensu carere visa sunt, fere semper notione aliqua imbuta esse invenies, et *praepositiones quidem ab Nostro, qui egregius est Graeci sermonis moderator, tanto consilio usurpari* ut potius mirari possis, quod tam pressa et collecta dictione tantam cogitationum multitudinem exprimi videas. *Abundantia igitur, qua nihil significatur, loquendi a Sophocle abhorret nisi ubi ipse sermo Graecus illam usu ratam reddidit sanxitque.*

Nam profecto sunt *quaedam composita* ita constituta ut praepositio *prioribus* sermonis *aetatibus vim suam propriam habuerit;* sed *postea eam deposuerit.* Quod inde colligendum est, quod apud antiquissimos scriptores compositum ita usurpatur, ut praepositio vim suam habeat, quum tamen apud posteriores illud plane simplicis instar adhibeatur. Id quod neglegentiae cuidam sermonis ipsius adscribendum erit. Neque tamen inde scriptori alicui vitium pleonastice loquendi exprobrari poterit, quum is hujusmodi pleonasmo utatur, quem usus sermonis ratum fecerit. Ita res se habet in *καθορᾷν.* Proprie significat „desuper videre“ ut recte apud Stephanum Thes. „despicere, deorsum aspicere“ Homer. Il. *α* 337 *Κρονίων ἐξ Ἴδης καθορῶν.* sed postea ut simplex usurpatur ut Soph. Elect. 892 *καὶ δὴ λέγω σοι πᾶν ὅσον κατειδόμην* Eurip. Iph. Aulid. 192 tum *καταδέρκεσθαι* proprie est desuper videre, Hom. Hym. Cer. 70 *πᾶσαν ἐπὶ χθόνα καὶ κατὰ πόντον αἰθέρος ἐκ δίης καταδέρκεαι ἀκτίνεσσιν.* sed apud Soph.

Trach. 999 *ἦν μή ποι' ἐγὼ προςιδεῖν ὁ τάλας ὤφελον ὄσσοις, τόδ' ἀκήλητον μανίας ἄνθος καταδερχθῆναι* jam pro simplici usurpatur. porro *καθαιρεῖν* proprie est desuper sumere ut *καθαιρεῖν ἱστία* Hom. Od. I, 149. *καθείλομεν ἱστία πάντα.*

Sed apud Sophoclem jum evanuit praepositionis vis ut elucet ex Ajac. 517 *καὶ μήτερ' ἄλλη μοῖρα τὸν φύσαντά τε καθεῖλεν Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας.* vel ex Trach. 1063 *γυνὴ δὲ θῆλυς-μόνη με δὴ καθεῖλε φασγάνου δίχα* quibus locis significatione „dirimendi, delendi" adhibetur qua ipsum quoque *αἱρεῖν* simplex apud tragicos usurpari notum est.

Neque igitur assentior Ellendtio qui (lexic. Sophocl.) — Trach. 477 *ταύτης ὁ δεινὸς ἵμερός ποθ' Ἡρακλῆ διῆλθε καὶ τῆςδ' οὕνεχ' ἡ πολύφθορος καθῃρέθη πατρῷος Οἰχαλία δόρει* — *καθαιρεῖν* dicit significare „desuper dejicere". Sane hoc loco de dirutione urbis agitur ut de aedibus dejiciendis cogitare possis. Sed quum aliis locis videamus *κατὰ* jam evanuisse, demonstrari non potest, hoc loco significationem etiam vividam esse. Etiam hic nihil significare videtur nisi „diruta est, deleta *Οἰχαλία*".

Sed admodum pauca sunt hujusmodi apud Nostrum composita qui caetera ita usurpavit ut praepositio aut esset necessaria aut egregie cum ubertate quadem dicendi delecta. Maxime haec laus in eum redundat si consulto hujusmodi composita novavit, id quod recte jam animadvertit Reisig. ad Colon. 27.

c) Juvat de *variis interpretum erroribus* nonnulla commemorasse.

1. Primum, id quod saepissime fit, opinabantur illi pleonasmum se invenisse, quum tamen re vera ubertas dicendi exstaret. Ut *scholiastes* ad Trach. 1269 *τὰ μὲν οὖν μέλλοντ᾽ οὐδεὶς ἐφορᾷ* in composito *ἐφορᾷ* annotat *περισσὰ ἡ πρόθεσις* id tantum videns, etiam simplex si hoc loco legeretur, suffecturum esse, neque tamen dijudicans nonne consulto poeta compositum praetulerit. Id quod re vera factum esse, demonstrari potest. — Etenim *ἐπὶ* notio quamquam jam latet in *ὁρᾷν* simplici — nam videntis est, oculos dirigere *ad* (*ἐπὶ*) locum — tamen urgeri est intellegenda ut compositum semper de consulto et consilio oculos aliquo vertentibus usurpetur. Quorum est magis proprium vultum vertere aliquo (*ἐπὶ*) quam temere et fortuito aliquid conspicientium. Ut Trach. 887 *ἐπεῖδες ματαία, τάνδ᾽ ὕβριν·* quo loco Ellendtius recte explicat „patienter *adspicere*“ quamquam „patienter“ notio loci indolei debetur non composito. Eodem modo El. 825 *ποῦ ποτε κεραυνοὶ Διὸς ἢ ποῦ φαέθων Ἅλιος, εἰ ταῦτ᾽ ἐφορῶντες κρύπτουσιν ἔκηλοι.* et Trach. 1039. Vel ubi de imperio exercendo agitur. Etenim est imperantis non conspicere, sed adspicere eos, quibus imperet. El. 174. *Ζεὺς ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει.* Denique ubi de oculis vertendis ad futuras res quaeritur Trach. 1270 *τὰ μὲν οὖν μέλλοντ᾽ οὐδεὶς ἐφορᾷ.* Nam etiam qui futuras res perscrutari studet, *consulto* oculos eo vertit, non fortuito. Jam si Hermannus hoc loco cum Ellendtio interpretantur *ἐφορᾷν* de conspiciendo *ex longinquo*. *ἐπὶ* praepositionem non explicant. Nam notio „ex longinquo“ fortuita est atque ex hujus loci indole nascitur.

Denique quum Reisigius et ad hunc locum et ad Col. 1365 *ἐφορᾷν* explicat „in propinquo videre“ ipse quoque unum locum qui est Trach. 1270 inspiciens, significationem compositi finxit quae si fortuito in unum illum locum quadrat, tamen ab caeteris omnibus locis quam maxime est aliena.

Atque etiam ex recentioribus quidam ita neglegenter in Graecos scriptores invecti sunt. Ut Wunderus ad Elect. Soph. v. 233 dicit, *προςεῖναι* a tragicis usurpari pro *εἶναι*, id quod falso esse praeceptum, demonstravimus.

Igitur plerumque interpretes ita erraverunt, ut *praepositionis vim nullam esse ducerent.*

2. Paullo rarius ita a veritate deverterunt, ut *praepositioni vim majorem, quam quae vere inest,* adscriberent, igitur ubertatem quidem dicendi agnoscerent sed eam falsam. ut *scholiastes ad ἐπέγνω* Antiq. 961 *κεῖνος ἐπέγνω μανίαις ψαύων τὸν θεὸν ἐν κεριομίοις γλώσσαις* interpretatus est *τὸ ἑξῆς ἐπέγνω τὸν θεὸν* ut falso putasse videatur *ἐπὶ* significare „postea, successionem“ (Vig. 628, infra 2). Jam sensus loci non repugnat. Immo hac significatione assumpta praepositio *γνώμης,* ut ita dicam, vi aures perstringit: postea i. e. quum tamen jam serius esset cognoscere, ille cognovit etc. Sed obstat id, quod alias *ἐπιγιγνώσκειν* ita non usurpatur. Ut Coph. Aj. 18. *καὶ νῦν ἐπέγνως εὖ μ᾽ ἐπ᾽ ἀνδρὶ δυσμενεῖ βάσιν κυκλοῦντι᾽ Αἴανι τῷ σακεσφόρῳ. ἐπιγιγνώσκειν* nullam aliam vim habet ac simplex ut *praepositio tantum decori* inserviat, „motum in locum significans“ quod qui cognoscit vultus quasi aliquo vertit.

Nimis magnam igitur vim scholiastes praepositioni attribuit nostro loco. Etenim *casu factum est,* ut hoc loco ἐπὶ per „postea“ explicare possis.

Ergo vides caussam erroris hic vulgo fuisse, quod interpretes ad unum locum respicientes, ex hujus indole significationem compositi constituere studerent, omnibus caeteris locis, quibus hoc legitur, neglectis. Nam id quod Zennius in adnotationibus ad Vig. 574 praecepit praepositioni in eodem verbo composito diversis in locis diversam potestatem interdum esse subjectam nobis ita restringendum esse videtur ut adjiciamus: cavendum tamen esse, ne uni eidemque, quod apud unum eundemque scriptorem legitur, composito sine caussa diversas significationes attribuamus. Quod nisi fiat, esse verendum ne tot significationes compositi exstruamus, quot locis inveniatur.

3. Etiam fit, ut quamvis interpres compositum recte explicaverit, tamen praepositionem pleonastice legi dicat. Ut ad Ajac. 260. *τὸ γὰρ εἰσλεύσσειν οἰκεῖα πάθη, μηδενὸς ἄλλου παραπράξαντος, μεγάλας ὀδύνας ὑποτείνει* ***scholiastes*** postquam recte interpretatus est *συμπράξαντος καὶ μετασχόντος* ineptissime addit *περισσὴ δὲ ἡ παρὰ πρόθεσις.*

4. Porro sunt, qui grammatica aliqua dicendi figura ficta compositionis rationem, quae eos offenderet, explicare studuerint. Ut Buttmannus ad Soph. Philoct. 668 *Θάρσει, παρέσται ταῦτά σοι καὶ θιγγάνειν καὶ δοῦντι δοῦναι κἀξεπεύξασθαι βροτῶν ἀρετῆς ἔκατι τῶνδ' ἐπιψαῦσαι μόνον,* dicit in *ἐξεπεύχεσθαι* esse cernendum „***hyperbaton***“ (de hac figura Bernhard. Syntax.

p. 459) praepositionum, quum metri vel euphoniae caussa ordo praepositionum *ἐπεξ* in *ἐξεπ* mutatus sit. Sed primum praepositionum ordo, quem Buttmannus vult esse rectum et primarium, *ἐπεξ* vere non exstat, quum nusquam legatur *ἐπεξεύχεσθαι*. Deinde *ἐπὶ*, decori inserviens, simplicis *εὔχεσθαι* notioni jam inhaeret, *ἐκ* autem praepositio, augendi notione imbuta, ad simplex *εὔχεσθαι* plane novam notionem adducit; quare si *ἐπὶ*, quod artius cum *εὔχεσθαι* cohaeret quam *ἐξ*, prius cum *εὔχεσθαι* connectitur quam *ἐξ*, id ex serie quae vere exstat, notionum vix aliter fieri potuisse mihi videtur. Igitur *ἐξεπ* in *ἐξεπεύχεσθαι* *hyperbaton non est*, sed ordo nativus. Eadem ratione formatum est *ἐκπροτιμᾶν* compositum. Antig. 913 *τοιῷδε μέντοι σ᾽ ἐκπροτιμήσασ᾽ ἐγὼ νόμῳ* etc.

5. Perverse grammatici ita judicaverunt, ut praepositionem cum casu aliquo conjungendam esse putarent, cum tamen cum ubertate dicendi adverbialiter esset dicta. Ut Brunckius ad Oed. Col. 1174 *παῖς οὐμὸς, ὦναξ, στυγνός, οὗ λόγων ἐγὼ ἄλγισι᾽ ἂν ἀνδρῶν ἐξανασχοίμην κλύων*. Quum sensus hic sit, quem Reisigius in enarratione ad Oed. Col. bene ita expresserit: „meus filius, o rex, teter, cujus verba ego aegerrime omnium hominum sustineam audiens“ Brunckius *ἐκ* praepositionem compositi *ἐξανασχοίμην* cum genitivo *ἀνδρῶν* conjungit. Cujus constructionis exemplis tota Graeca lingua destituta est. Igitur ille compositionis formam quae haec est, ut ad compositum *ἀνέχεσθαι* in quo praepositio plane necessaria est, altera *ἐκ* praepositio adverbialiter dicta augendi caussa accedat plane non perspexit.

6. Denique contrarie accidit, ut falso praepositionem aliquam ut adverbialiter dictam cum simplici componerent quum tamen illa separanda esset et praepositionali vice fungens cum casu esset conjungenda, ut Ajac. 225 v. *ἀγγελίαν ἄτλατον οὐδὲ φενατάν, τῶν μεγάλων Δαναῶν ὕπο κληζομέναν,* diu legebatur *ὑποκληζομέναν* donec Hermannus Parisin. D. lectionem manifesto rectam quae est *ὕπο κληζομέναν* recepit, ut *ὕπο* conjungendum esset cum *τῶν — Δαναῶν*. Neque enim intellegitur quid velit *ὑποκλήζεσθαι*.

Sed ut de his interpretum erroribus taceamus, *transeundum est nunc ad ipsa haec composita quae cum ubertate dicendi apud Sophoclem usurpantur*, afferenda.

Initium fecimus *a verbis cum una praepositione compositis*. In quibus observandis ita nos versatos esse profitemur, ut ex ratione compositionis ipsa quae intercedat verbo simplici cum praepositione, *qualis esset et quid consequeretur ubertas dicendi*, eruere conaremur. Ita triplicem esse compositionis rationem invenimus: aut *syntheticam* (quum praepositionis notio ut nova ad simplicis notionem accedat) aut *analyticam* (quum praepositionis notio in simplicis notione jam lateat) aut *specie quidem* (h. e. ex dialectica) *analyticam, re vera* (h. e. ex usu sermonis) *syntheticam*.

Sed nunc quidem quum plura in publicum proponere prohibeamur, contenti his paucis, quae sumus praefati, caetera de quibus quaesivimus in posterum fore ut a nobis possint tradi speramus.

VITA.

Natus sum Augustus Theodorus Ludewig d. 10 mens. Maj. a. 1839 Dobrilugii patre Augusto, matre Augusta e gente Gleifsneriana, quos etiamnunc vivere magnopere laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Domi litterarum elementa doctus a. 1853 adii gymnasium Luccaviense quod auspiciis tum floruit Belowii rectoris. Maturitatis quod dicitur testimonium nactus a. 1860 Berolinum me contuli ubi philologicis studiis operam navarem. Audivi Benaryum, Boeckhium, Droysenum, Hauptium, Koepkium, Lepsium, Mommsenum, Muellenhoffium, Steinthalum, Trendelenburgium, Twestenum. Benevolentia Boeckhii et Hauptii occasionem mihi aperuit frequentandi seminarii philologici, cujus per quinque spatia semestria fui sodalis ordinarius, per duo senior. Praeterea interesse mihi licuit Trendelenburgii exercitationibus philosophicis et Muellenhoffii theodiscis. Qui viri omnes, quantum me adjuverint in studiis colendis, semper animo servabo grato.

SEPT. 30. 1953.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. *Προδιδάσκειν* compositum quod legitur Soph. Phil. 1012. Trach. 681. Aj. 163 non significat „*antea docere*“ sed „*perdocere, penitus docere.*“
2. Non ab *ἀναπνεῖν*, sed ab *ἐμπνεῖν* composito est ducenda *κἀμπνέοντ'* forma quae exstat Soph. Phil. 883.
3. Ellendtium qui *ἀνερέσθαι* significatione „interrogandi“ praeditum esse dixit, errasse putaverim.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 052 085 3

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 052 085 3